



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO  
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. 58/08/L

## CRACOVENSIS

Sanctum Nicolaum, sanctitate et intercessione apud thronum gratiae divinae praeclarum episcopum, clerus et christifideles civitatis v. d. *Chrzanów* peculiari necnon assiduo cultu prosecuti sunt et adhuc prosequuntur.

Inde Eminentissimus Dominus Stanislaus Card. Dziwisz, Archiepiscopus Cracoviensis, communia excipiens vota, etiam auctoritatis civilis, electionem Sancti Nicolai, episcopi, in Patronum apud Deum illius civitatis rite approbavit. Idem vero, litteris die 2 ianuarii 2008 datis, enixe rogat ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta Normas de Patronis constituendis et ad normam Instructionis "de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis", n. 30, confirmentur.

Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice BENEDICTO XVI tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque

SANCTUM NICOLAUM, EPISCOPUM,  
PATRONUM APUD DEUM  
civitatis v. d. *CHRZANÓW*

confirmat, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 20 iunii 2008.

(✠ Albertus Malcolmus Ranjith)  
Archiepiscopus a Secretis

(P. Antonius Ward, S.M.)  
Subsecretarius